



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011860X**

§. 59. Difficultates circa Sacerdotii institutionem innovatæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

§. LIX.

Sæcul. XVI.  
A.C. 1562.

*Difficultates circa Sacerdotii institutionem innovatæ.*

**H**is peractis supervenerat Granatensis *Pall. c. 8. n. 19*  
 Archiepiscopus, qui Patrum plures,  
 ut ad confessum venirent, monebat,  
 eosque hortabatur, ne, etiamsi per totam  
 noctem ibidem subsistere cogeren-  
 tur, inde discederent, donec illius Ca-  
 nonis, quo definiiebatur Sacerdotium a  
 Christo Domino in ultima Cœna fuisse  
 institutum, suspensionem obtinuissent,  
 decretumque esset, quod hæc quæstio  
 ad Sacramentum Ordinis rejiceretur.  
 Hanc propositionem Granatensis cum  
 tanto verborum impetu faciebat, ut,  
 quamvis gravibus omnino rationibus  
 urgeretur, quatenus a suo proposito de-  
 sisteret, aut saltem suæ vehementiæ  
 temperaret, pertinax tamen in sua sen-  
 tentia persisteret: nihilominus habeba-  
 tur congregatio, cui tamen Seripandus  
 Cardinalis non intererat, cum semper a  
 definienda illa opinione, quod Christus  
 semetipsum Patri suo in Cœna obtule-  
 rit, alieno esset animo; ea enim sibi vi-  
 debatur nondum sat claris sacræ Scri-  
 pturæ testimoniis, ac Sanctorum Pa-  
 trum textibus comprobata, nec etiam  
 in Synodo Patrum disputationibus suffi-  
 cienter dilucidata: hinc hujus senten-  
 tiæ

Sæc. XVI.  
A.C. 1562.

tix suæ testimonium sibi tradi voluit a primo Legato, quod etiam seorsim factum fuit.

§. LX.

*Canon hanc in rem confectus a Granatensi impugnatus.*

*Pallav. n. II.* **R**ebus facilioribus in hoc confessu expeditis, Granatensis Archiepiscopus, qui mane facultatem petierat extra Ordinem loquendi, proluxa oratione impugnabat Canonem sibi non probatum, cum eundem S. Dionysio, cui tractatum de Cœlesti Hierarchia adscribebat, necnon S. Maximo, & D. Chrysostomo, contrarium putaret, nam hi sancti Doctores collationem Sacerdotii tribuunt illis verbis a Christo prolatis postquam resurrexit: *Accipite Spiritum Sanctum.* Ast Patres pertæsi tam labores integræ diei, totque sermones, quam pertinaciam hujus Præsulis, communitententiæ reluctantis, fere omnes exclamabant: persistendum esse in eo, quod statutum. Verum Osius Legatus aliquid sibi dicendum putabat, ut suam sententiam, quæ jam universalis in Synodo evaserat, propugnaret: idcirco geminam potestatem distinxit, a Christo Sacerdotibus traditam, quarum una ad verum ipsius Corpus attinet, altera veto tangit corpus mysticum, quod

ex